



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Decollatio S. Joannes Bapt. 29. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

hominibus confabulari consuissent. Mensa ejus,
quæ frugalis erat, & vasis vel ligneis vel testaceis
superba, quoslibet hospites admittebat, si illos ex-
cipias, quos ascripti hi versiculi proscribebant:

*Quisquis amat dictis alienam rodere vitam,
Hanc mensam vetitam neverit esse sibi.*

Supremum æger Davidis carmina, quæ à pœ-
nitentiâ nomen habent, parietibus cubiculi inscri-
bi voluit, interque earum commentationes mor-
tem sanctissimè obivit, & Ecclesiæ hæreditatem
amplissimam eloquentiam suam & profundissi-
mam doctrinam reliquit; illud puto juventuti le-
gavit, quod in libr. XXII. de civit. Dei c. 8. narrat;
matrem scilicet filios immorigeros diris devovis-
se; vota cælum audisse; & illos vagos, & horrenda
omnium membrorum concussione tremebundos
orbem pererrasse; ex his denique duos ad aram
D. Stephani sibi redditos esse. Superi! si improba
mater in improbos filios tantum potuit, eheu!
Mariani, quid in immorigeros MARIA MATER
poterit? Ex vitâ & ipsius D. Augustini libris.

*Si terrenos parentes tanto affectu diligimus, qui par-
vo tempore pro nobis sustinuerunt labores, nonne caelstis
pater magis amandus est, qui pro nobis crucifixus est?
Nam quidquid parentum nostrorum circa nos fuit obser-
gium, ejus est beneficium. S. Aug. l. de salut. docum.*

DÉCOLLATIÖ S. JOANNIS BAPT.

- 29. Augusti.

Natalitias hoc die Herodes epulas dedit, quas
rectius funebres vocabimus. Aut enim nul-
las, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu-
nimium nobili crudelitas condivit. Nam cum ad
reliquas mensæ illecebras filia etiam accessisset, &

faltu

30. Aug. VITÆ SANCTORVM. 425
 saltu leviculo terram plausisset, ecce tibi præmium
 pedes caput maximi vatis JOANNIS abstulerunt.
 Nec satis erat, per mensam tam delicatum fercu-
 lum ambulare, & oculorum gulæ facere satis. Ex-
 traxit conjux adultera palato suo linguam (illam
 gratissimam Siuadæ sedem) & mille nunc convitiis,
 nunc acu mille locis fodit scelesta. Sed profectò
 pessimè acu rem tetigit. Nunquam enim magis
 viva etiam crudelitatem Regis, quam tunc fuit
 locuta, & meritò deinde divinum VERBVM loqui
 tyranno renuit, cujus vocem decollaverat. Ipsa
 saltatricula pœnas si seras, serias certè luit, quando
 astrictas gelu aquas transiens, ruptâ sub pedibus
 impiis glacie, abscindendum crustis caput dedit,
 etiam tunc portentosum in modum subsiliens, &
 choreas, quibus viva assueverat, mortua etiam
 continuans, manifestum omnibus mortalibus do-
 cumentum, quam non multo saltu opus sit, ut in
 orcum devolvamur. At dicet nonnemo, ergone
 odiosam pede calcare terram non liceat? immo verò
 calcanda illa est, & pede utroque, sed graviore, &
 cui cælum non orcus arrideat. Ex Bar. & Martyrol.

Si Ioannes stantis, Ioannes talis, tantâ eremo separa-
 tus à feminis, feminarum pericula non evasit, quis est,
 qui inter feminas vivens evasurum se sine labore
 maximo, maximâ sine cautione confidit, nisi qui sancto
 datur spiritu? S. Chrysol. serm. 2. de Decoll. S. Joann.

S. BONONIUS ABB. 30. Augusti.

Optima Philosophiæ pars est mortis medita-
 tio; hæc BONONIVM puerum mundo mori-
 docuit, quâ quidem morte ad vitam nihil est sa-
 lubrius. Hinc Ægypti deserta petiit tantamque
 sanctorum civium frequentiam invexit, ut in
 solitu-